



N hac lite quam agit D. Laurentius Adorno cum D. Augustino Adorno, & domina Theodosia, & domina Michaela nihil habemus aduertere de nouo aduersus dominam Theodosiam, nec aduersus dominã Michaelam, nec in super necesse erat aliquid aliud addere contra D. Augustinum Adorno, vltra id quòd in prima cõsultatione fuit scriptum, nisi de nouo intellegerimus qua via in hac lite progreditur, nec adhoc nos vrget vi suorũ fundamentorum, sed vt euidenter videatur ex aduerso non respondisse nostris fundamentis nec congrue respondere posse.

¶ Hæc lis inter D. Laurentium, & D. Augustinum Adorno principaliter in hoc consistit, videlicet vtrum D. Laurentius potest representare personam sui aui, vel suę matris, quia representando personam aui est duobus gradibus propinquior vltimo possessori quam D. Augustinus Adorno, & representãdo personam suæ matris est vno gradu propinquior, si autem non representat auum nec matrẽ ambo sunt in pari gradu & D. Augustinus Adorno præferendus erit, quia est maior ætate, volo igitur hunc articulum resoluere discurrens per oppositiones contrarias, eas reducendo ad meliorem ordinem quam aduersarij, vt distinctius intelligantur.

¶ Duo genera fundamentorum colliguntur ex consultatio-

ne contraria ad excludendam repræsentationem vna fundamenta sunt generalium quæ respiciunt exclusionem repræsentationis tam quo,ad personam aui,quam quo ad personam matris. Alia sunt specialia, vt non possit repræsentari persona aui,& in super vt non intersit repræsentatio matris.

¶ Primũ fundamentũ generale ad hoc quod nõ possit persona aui neq; matris D. Laurentij repræsentari sumitur ex eo quia.l. 40.tauri quæ introduxit repræsentationem inter descendentes & transuersales debet intelligi de transuersalibus descendentibus à fundatore,vel ab vltimo possessore & non de transuersalibus vtriusq;. Huic fundamento sufficienter respondimus in prima consultatione, vbi probauimus quòd communis intellectus authorum grauissimorum, huius regni sicuti sunt dominus Doctor Ludoui. de Molin. & Dominus præses Couarr.quorum doctrinæ communiter sequuntur in supremis tribunalibus,est quod præd.l. Tauri intelligitur & procedit in quibuscumq; transuersalibus quamuis non descendant à fundatore nec ab vltimo possessore, cuius opinionis etiam fuit Acosta quem allegat idem Molin.lib.3.c.6.in finalibus verbis, rationes horum autorum nõ oportet hic transcribere cum in eis possint videri,speciatim per Molinam,qui cõstruens verba dictæ.l.40. Tauri, ostendit ad oculum dictam legem intelligi & procedere in quibuscumque transuersalibus. vt tamen videamur nunc in aliquo addere, aduerto quod duo autores qui pro contraria opinione citantur illud non dicunt vnus est Gregor .Lop. in.l.2.titu.15.p.2.verb.*el mas propinquo*, in versi. sed quid si aliquis col.2.qui solum dicit quod quando transuersales sunt vocati per vocationem propinquioris excluditur repræsentatio & ad hoc allegat tex.vbi est casus in.l.si libertus præterito.§.1.ff.de bonis liberto tamen quando transuersales non succedunt ex vocatione proximioris non dicit Gregori.quod ad repræsentationẽ debent esse descendentes fundatoris vel vltimi possessoris. Alter autor videlicet Gometi.in.l.8.Taur.num.19.quod concludit est,quod quando transuersales descendunt ab vltimo possessore vel quando descendunt a fundatore sine dubio possunt repræsentare personarũ suorum parentum,tamen quando non descẽdunt ab vno vel ab alio Gometius non tangit,vtrum sit locus repræsentationi,& ideo ita remanet opinio cõtraria sine authori

tate

tate sicut sine fundamento & ratione,& vere ex illa sequerentur notabilia absurda,vnum quòd prædicta.l. Tauri condita summa cum delibeaatione & ad decisionem illius tam controuersæ quæstionis de successione patrui & nepotis,de qua dixit Bald.in.l.cũ in antiquioribus. C.de iure de liber.soluat Apollo & quod aliquando per arma fuit decissa vt refert Tiraq. de primog.q.40.num.7 &.8.post quam concessit repræsentationem inter descendentes & transuersales relinqueret casum in decissum vt aliquo modo etiam posset limitari.Secundum esset absurdum, nam si intelligeretur quod prad.l.non admittit represen tationem inter transuorsales quamuis non descendant a fundatore vel ab vltimo possessore,sequeretur quod neque inter filios fratrum non daretur repræsentatio,& ita lex quæ venit ad extendendam & ampliandam repræsentationem de iure communi introductam, restringeret eam,nam de iure comuni datur repræsentatio in transuersalibus vsque ad filios fratrum, vt in authe.cessante.C.de legiti.hæredi.

¶Secundum & vltimum fundamẽtum generale aduersæ partis ad hoc quòd Dominus Laurentius non posit repræsentare nec aui nec matris personam est,quòd quamuis sit certum, prout est certum puod repræsentatio dequa in.d.l.40.Tauri intelligatur de quibuscunq; transuersalibus, non tamen intelligenda est absolutè in omnibus gradibus sed determinate vsq; ad filios fratruum,vt non extendatur ad vlteriores gradus & ita cũ Dominus Laurentius non sit filius fratris vltimi possessoris non potest iuuari dicta repræsentatione,hoc funadãt aduersarii Duobus vel tribus modis quæ videri meo non merentur responsum.

¶Primo authoritate Gregori.Lopez in.l.2.titu.15.p.2.verb.*el mas propinco*.col.2.vers.sed quid si aliquis, qui locus idem est quẽ supra allegarunt ad conclussionem precedentem,& iam ibi ostendimus quid dicat Gregor.& quod in hoc articulo,nullum facit verbum Gregori.allegant etiam Antoni.Gomez.in.l.8.Tauri.num.19.qui illud non dicit immo expræsse dicit contrarium, post quam enim in num. 18.in finalibus verbis dixerat quòd in terminis iuris communis in successionibus ab in testatore præsentatio non admitatur vltra filios fratrum vt patet ibi.*sed aduer*

te iam iste casus contingit de facto, nam decessit quis ab intestato relicto fratre viuo, & ex sobrino mortuo relicto filio, in quo consului, quod solus frater viuus deberet succedere, & omnino excluditur alter filius sobrini. Illico in num. 19. sequenti, incipit dubitare vtrum erit idem in maioratu & in versi. sed hodie resoluit quod non, sed quòd nón tantum filius sed etiam quilibet alius descendens a filio maiore præferendus erit in successione ita inter transuersales sicut inter descendentes, vt patet ibi, *sed hodiæ in nostro, regnò in dubitanter tenẽdum est, quòd tamen in linea descendenti quam in transuersali præferatur filius vel descendens ex filio maiore præ mortuo & in expræsso ita disponet. l. 40. infra his legibus Tauri.* allegant etiam Meres, & Auend. Iuniorẽ quos ego non habeo nec obligatus sum illis respondere, cum contrariam opinionem & ita quòd imo inter transuersales repræsentatio non restringatur ad vllum gradum sed quòd extendatur in infinitum, defendunt Couarr. & Acosta & qui eos refert & sequitur Molin. de primog. d. lib. 3. cap. 7. num. 10. & post eos Matien. in. l 5. titu. 7. lib. 5. recopi. glo. 3. incipit *por su orden*. & Couarr. ponit exemplum nostri casus, quando quis vult repræsentare auum ad succedendum fratri sui aui hoc est patruo magno & idem exemplam ponit matiencius.

¶ Secundo modo fundare volunt repræsentationem inter transuersales non esse extendendam vltra filios fratrum, sane quia licet de iure communi erat decissum quod filius repræsentet personá patris ad concurrendú cũ patruo non tamen quod patruum ommino excludat, & ita quod sufficiat quod prædictam legem Tauri extendamus ad illum tantum casum, cum ex eius decisione filius excludit prætium in totum, sine eo quod etiam extendamus, vt eum excludant vlteriores descendentes. Fallitur quidem pars aduersa in præsuposito quod facit, nam etiam de iure communi decissum erat, quod filius represente t patrem non solum vt concurreret cum patruo sed etiam vt eum excluderet in totum, de quo est casus in terminis in authent. itaq;. C. commu. de succes. vbi filius fratris vtrinq; coniuncti per repræsentationem sui patris excludit in totum patruum ex vno latere tantum coniunctum, & quamuis hoc de iure communi non esset ita decissum, non posset prædictam. l. Tauri ad hunc casum restringi, quia per verba expressa æquiparans transuersales descendentibus probat repræsentationem debere esse perpetuam

petuam sine limitatione graduum sicuti tangimus in prima cō-sultatione, & ex professo tradit Molin. lib. 3. c. 7. num. 10. vers. pro hoc autem conclusione. vbi con struit literam dictæ legis, & sic remanet sine dubio, quod licet in hac causa litigantes sint transuersales tam respectu fundatoris quam vltimi possessoris & quamuis sint in remotiori gradu quam filij fratrum, non excluditur repræsentatio. & ita satisfactum est fundamentis generalibus quibus aduersa pars vult eam excludere.

¶ De fundamentis specialibus aduersæ partis quorum vnum tendit ad id quod dominus Laurentius non posit auum suum repræsentare, alterum quod nec etiam matrem in prima consultatione egimus, nunc autem suplico dominos vidices aduertant ad hoc quod aduersarij nihil respondent, ad id quod diximus defendentes aui, vel matris repræsentationem, nam ad excludendam aui repræsentationem dicunt, quod D. Laurentius non potest auum repræsentare quia tempore fundationis maioratus iam erat mortuus, respondimus quod hoc nō excludit, repræsentationem, imo requirebatur quod esset mortuus, vt admitteretur repræsentatio, de quo adduximus quandam communem opinionem fundatam in authen. post fratres. in . 1. C. de legiti. hæred. quam refert Mant. de coniect. vlti. vol. lib. 8. tit. 9. nu. 12. & adhoc nullum verbum respondent licet fuerit impossibile quin illud viderint. Respondimus insuper quod quando quis est incapax, quia est spurius, vel monachus, vel ex alia causa exclusus nō poterunt eorū filij & descēdentes repræsentare eos, sed quod hoc non procedebat quando incapacitas consistit in eo solo, quod pater vel âuus esset præ mortuus imo quod ad hūc tantum casum fuit in pro ducta repræsentatio. Allegaui quandam communem opinionem, quam adducit Molin. libr. 3. c. 7. num. 1. ad eam quoq; nullam verbum respondent. Et vt ratione iuridica ostendatur quod mors præcedēs fundationem maioratus, non impedit repræsentationem reuoco ad memoriam dominationis vestræ, quod in maioratibus succeditur eo ordine quo abintestato, nec est alia differentia, nisi quod abintestato repræsentatio admittitur vsq; ad filios fratruum, in maioratibus autem est perpetua, ponamus igitur quod abintestato euenit talis casus, quidam habuit filium qui relictis filijs patre viuente obijt, postea idem pater alios suscepit filios quorū vnus

mortuus fuit relinquens fratres viuos, & filios alterius fratris qui decesserat antea quam frater qui nunc decedit nasceretur absurdum & fatuum esset dicere quod filij fratris premortui excluderentur à succesione exco tantum quòd pater eorum fuit mortuus antequam alius frater nunc moriens nasceretur, & sic in tempore quo non habebat, neq; spe potentiam succedendi fratri postea nato certe hoc esset directo contra text. in authentica cessante. C. de legitim. hæredib. vbi generaliter disponitur, quòd filius fratris concurrit cum patruo per representationem patris sui mortui. Nihil amplius in hac materia representationis videndum est, quam considerare vtrum pater vel auus si esset viuus succederet vt sic admittatur represeutatio. ¶ Similiter non respondent ad illud quod diximus videlicet D.Laurentius pōtest personam suæ matris representare dato quod non representaret suum auum. Nam mater domini Laurentij erat vno gradu propinquior dicto Domino Augustino Adorno.¶ Et quia prædictus D. Augustinus Adorno posset pretendere quòd etiam ipse repræsentat suæ matris personam, respondimus in prima consultetione quòd si eorum matres simul concurrerent mater D.Laurentij quæ erat filia fratris vltimi possessoris & mater D.Augustini quæ erat soror matris eiusdem vltimi possessoris mater Laurentij excluderat matrem Augustini, ex iuris dispositione iuxta tex. in terminis in. l. post fratres la.1.C. de legi. hæred. Adhoc nihil amplius respondent in sua consultatione quam quod id procedat abintestato, non autem in succesione maioratus, videat obsecro dominatio vestra qualiter respondent, quasi in succesione maioratuum non debeat seruari ipsemet ordo, & prerrogatiua succedendi quæ in succesione abintestato præcipue cum in nostra consultatione in terminis terminantibus dedimus eandem regulam decissam in succesione feudorum, ex doctrina Bald. in.c.1. incipit, *si quis miles* num.12. versi. quæro ergo quid si cum patruo, sub rubrica Imperator Lotarius Eugenij Papæ, & ex Grego. in. l.6. titu.13. par.6. ver. *ni sobrino*.

¶ Viso igitur per aduersarios in terminis iuris non posse sub stineri quòd non admittatur representatio appellant ad clausulam fundatricis, & dicunt quod testatrix in casu quando bona non peruenirent ad Dionisium Adorno voluit quòd in eis

suc-

succederent sui consobrini, & censendum est quòd voluerit idē esse quamuis ad Dionisium peruenirent. Ad hoc respondimus in prima consultatione quòd si ita esset sequerentur duo absurda, vnum quod si Dionisius qui succesit in dictis bonis haberet filios, illos excluderent consobrini, si esset verum quod exeo quia vocati sunt in casu quo bona non peruenirent ad Dionisium, censerentur etiam vocati in casu q̄ bona ad eum peruenirent: & aliud maius absurdum esset, quia cum bona essent maioratus, succederent simul plures, nam in casu quo bona non perueniant ad Dionisium fecit testatrix ea diuisibilia, & vocat omnes cōsobrinos ad eorum successionem. Et nunc vt aliquid addatur de nouo, respondeo, quòd eo casu quo bona non perueniant ad Dionisium testatrix non habuit considerare, quis esset propinquior consanguineus Dionisij, quia si non veniret casus in quo ipse succederet frustra haberetur ratio proximitatis respectu Dionisii, & sic benè potuit testatrix vocare suos sobrinos in casu quo bona non peruenirent ad Dionisium, tamē in casu quo ad eum peruenissent, defficit ratio quam habuit vocandi suos sobrinos, quia alia erat habenda ratio secundum regulas maioratuum circa proximitatem Dionisii, hoc in terminis est elegantissimum consilium Rolandi in cons. 100. num. 23. versi. *septimo nec etiam.* vol. 1. ibi *quod verum est quod illo casu ab initio id est antea quam sit admissus, vocantur prout erant successuri ab intestato ipsi testatori, sed post quam fidei comissum venit ad vnum, ad alium transit prout fuisset successurus grauato.* quinimo si bene cōsideretur, hæc eadem clausula (in qua fundatrix vocauit suos sobrinos, eo casu quo bona ad Dionisium non peruenirēt,) probat expræsse fuisse exclusos in casu quo bona ad eum peruenirent, quia cum vsque ad dictam clausulam disposuerat, quod bona essent perpetuo vniculata succedente in eis Dionisio, quando vult vocare suos sobrinos scilicet quando Dionisius non succedat, aufert fundatrix à bonis naturam, quam ipsa attribuerat, quia de bonis vinculatis fecit ea diuisibilia inter suos sobrinos, quod in efectu fuit ponere exceptionem regulæ principali, videlicet quod non succedente Dionisio in bonis, succederent sobrini fundatricis, relinquens dispositum pro regula, quod succedente Dionisio, sicut in effectu succesit non deberent succedere sobrini, sed quòd in illis deberet succedi via naturali & ordinaria maioratuum. ¶ Sed ad hoc finaliter prætendit pars aduer-

aduersa replicare, quod testatrix non solum in casu quo bona debebát esse communia & diuisibilia, sed etiam quando futura erant integra & vinculata, videtur plurimum dilexisse hác qualitatem sobrinorum, nam prior vocata fuit Luciana, quam vocat suam sobrinam & postea vocauit Dionisium suum sobrinũ & ita quod videtur habuisse respectum ad hanc qualitatem cõsanguinitatis sobrini. ¶ Hæc quidem est magna cecitas, quia quãdo testa trix vocat lucianam & Dionisium, prius vocat eos per nomina propia quam per qualitatem sobrinorum, & ideo non censetur vocasse eos per gradum con sanguinitatis, sed per personas quia quando præcedit nomen proprium & per adiunctum sequitur appellatiuum; censetur facta vocatio propter personam, casus est expræssus & singularis & sic eum ibi appellat Bart. in. l. si seruus communis ita. ff. distipul. seruor. quod si voluntas fundatricis foret vocare Lucianam & Dionisium solum propter qualitatem sobrinorum, non vocaret post Lucianam Dionisium, sed prius vocaret Augustinum Adornum fratrem Lucianæ, erat enim magis consonum rationi si ipsa tantum habuisset respectum ad cõsanguinitatem vocare post Lucianam Augustinum eius fratrem; & non Dionisium fratrem patruelem, cum in Augustino cõcurrebat etiam qualitas sobrini, sed cũ fundatrix non habuit respectum ad personas, seruauit ordinem quem voluit vocans priori loco Lucianam & postea Dionisium, omittens exclussum Augustinum Lucianæ fratrem, & certe videtur notabilis repugnantia voluntati testatricis, quod Augustinus vellit succedere, quia nihil aliud defecit nisi quod testatrix expresis verbis diceret, nolo quod succedas in hoc maioratu. Nam cum Luciana sit soror Augustini, & iste masculus, illa autem fœmina fundauit in illa maioratum, nõ in illo & non contenta hoc genere exclusionis, quando fecit substitutionem per obitum Lucianæ non substituit Augustinum eius fratrem, sed Dionisium fratrem patruelem & ideo viditur monstruum quod ille qui fuit exclussus per mortem suæ sororis cui erat propinquior vellit succedere per obitum sui fratris patruelis cui sunt alij propinquiores.

¶ Vltimo quando sine præiuditio veritatis fateremur quod fundatrix solum habuit rationẽ ad qualitatem sobrini hęc his rema-